DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID JACOBUS HALL,

Barvicienſis,

CHIRURGUS,

NECNON CHIRURGUS ADJUVANS IN CLASSE BRITANNICA.

"Qui denique omnia, quæ ægro accidunt, observanda cognita, ad amussim ponderat seorsum singula, comparat deinde inter se universa, confert iis, quæ in sanitate contingunt, hincque tandem severitate ratiocinii subacti assurgit in intellectum causæ proximæ, et auxiliorum ei tollendæ aptorum, verum medici nomen meretur."—HERMANNI BOERHAAV. *Prolegomena*, sect. 13.

"Vitæ summa brevis, spem nos vetat inchoare longam."—HOR.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVI.

SUIS AVUNCULO ET PATRUO

VIRIS SPECTATISSIMIS,

D. J. H. DICKSON, M. D.

MEDICO PRIMARIO VALETUDINARII REGII PLYMOUTHÆ,

&c. &c. &c.

ET

ALEXANDRO HENDERSON, ARMIGERO,

DE *EILDON HALL*, *&c.*

ARTIBUSQUE SUIS ORNATISSIMIS,

MIRA MORUMQUE LIBERALITATE VALDE CONSPICUIS;

OB BENEFICIA MAXIMA, ET CURAS USQUE AD PATERNAS
IN EUM COLLATA,

HOCCE OPUSCULUM,

GRATI ANIMI BENEFICIORUM MEMORIS PIGNUS,

DEBITORUM QUÆ CONTULISSE AGNOSCIT MONUMENTUMQUE,

LIBENTISSIME SACRUM VULT

AUCTOR.

JOANNI WEIR, M. D.

ET

GULIELMO BURNETT, M. D.

NOSOCOMIIS INSPECTORIBUS, NAVALIUM MEDICORUM CURATORIBUSQUE,

&c. &c. &c.

VIRIS,

CUM OB BENEFICIA IN RES MEDICAS CLASSIS BRITANNICÆ,

SUIS CONSILIIS ACCUMULATA,

TUM OB SCIENTIAM UNIVERSALEM PERITIAMQUE ILLUSTRISSIMIS,

HANC DISSERTATIONEM,

IMPAR SUMMÆ OBSERVANTIÆ INDICIUM

D. D. D.QUE

AUCTOR.

VIRO DOCTISSIMO INGENIOSOQUE,

JACOBO SCOTT, M. D.

CHIRURGO IN CLASSE BRITANNICA, ET

NOSOCOMIO *HASLAR* NUPER CREATO PRÆLECTORI,

&c. &c.

SUMMIS MENTIS DOTIBUS VALDE INSIGNI,

ET MORUM URBANITATE APUD FAMILIARES ALIENOSQUE

MERITO DILECTO;

CONSILIORUM ET LITERARUM

ITIDEM AMICITIÆ ET AMORIS EI PRÆSTATORUM

HAUD IMMEMOR,

HASCE PAGINAS INORNATAS,

ANIMI GRATISSIMI TESTIMONIUM EXIGUUM SED SINCERUM,

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

DAVIDE JACOBO HALL Auctore.

QUAMVIS seculi experientia opiniones medicorum haud paucas fallaces esse constituit; multi, veruntamen, inter majores scripta et præconio digna, et ad docendum idonea, reliquerunt; cujus in testimonium, hoc jam tempore, complures medicinæ patrum sententiæ, propter veritatem, magni æstimantur.

Opera perfecta et elaborata Hippocratis, Galeni, et diserti A. C. Celsi, quorum existimatio apud literatos omnes tanta est, ut neque laudibus augeri, neque vituperatione minui queat, mihi solum memorare opus est.

Inter recentiores, si auctoris tempori rationem habeamus, Boerhaavius, sine dubio, attentioni lectorum rite imperet. Van Swieten, etiam, qui Commentaria in Aphorismos Boerhaavii scripsit, multa in lucem protulit, quæ sine tali expositione minus lucida videantur.

Placitum huic dissertationi præfixum, non bene in dubium vocari potest; et etiamsi in omni morbo valde apposita sit, nulli tamen proprius quam in Phthisi Pulmonali, de qua nonnulla in opuscula sequenti proferre volo.

Hic morbus inter opprobria medicorum, ob naturam ejus (forsitan) immedicabilem, diu existimatus est.

An semitæ artis medicæ unquam satis explorari queant, dubitare liceat; nam ex natura ejus abdita timendum est, ne usque temporibus maxime remotis incerta et obscura maneant.

Nisi enim causas primarias per effecta inveniamus, res momenti complures in Physiologia, om-

nibus semper minime expositæ permanebunt; et, his incognitis, neque Pathologia, neque Etiologia certe progredi possunt. Dum, enimvero, talis est incertitudo de morborum natura, contemplatio omnis nova, quanquam auctor valde eximius et ingeniosus sit, caute recipienda est; et, nisi periculum facti et observationis sustineat, in oblivionem projici debet.

Celeberrimus DUNCAN, autem, in tractatu suo præstante (de Phthisi Pulmonali) hæc verba habet:—"There is no reason, however, to despair of making some progress in this important object*;" et indefessus doctissimusque LÆNNEC, librum magni pretii, de Pathologia et Diagnosi Morborum Thoracis, nuper scripsit, ex quo sperari potest, morbos illos pneumonicos, qui antehac pro maxime periculosis habebantur, revera magis tractabiles esse.

An hæc, ex factis et observatione, quidquam confirmari possint, protinus ostendere conabor.

---

* DUNCAN on Consumption, Introd. p. 2.

MORBI HISTORIA.

Phthisis Pulmonalis magnæ antiquitatis, et inter veteres descripta, est; nec mirari possumus, si morbus adeo admodum lethalis, sibi attentionem medicorum, in omni ævo, serio vindicasset, et opiniones varias elicuisset.

Et cum tot millia hominum, et præcipue ex teneris et formosissimis, huic morbo quotidie, certe, si lente, procumbunt, quis inter medicos munere suo humanitati melius fungitur, quam qui phthiseos arcana monstrare, et pestem carnivoram exterminare, laborat?

"Hic labor, hoc opus est," homine dignum; namque CICERO bene dixit, "Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando."

Sed, quoniam breve spatium mihi est, inter sustinentium copias, adnumero tantum nomina DUNCAN, YOUNG, BAYLE, et LÆNNEC, quibus, cum multis aliis, præmia in cœlis restant.

Fateri nihilominus oportet, pathologiam hujus morbi adhuc tenebris versari; nam ex auctori-

tate * infeliciter indubia, apparet, morbum hunc sævum ingravescere, eo usque ut in hac insula, quinquaginta quinque millia mortalium, ad minimum, phthisi quotannis, non exacta ætate, moriuntur.

De Europa, YOUNG affirmat, quadrantem incolarum, phthiseos victimas esse; et hic mihi liceat de facto dicere, quod nuperrime observavi.

Quando, Augusto mense, anno 1825, BURNETT ad res medicas nosocomiorum et classis regiorum agendas, curator diligentissimus et labore indefessus, Valetudinarium Plymouthæ, ex officio, advenit, *octodecim Phthisicos*, in variis morbi stadiis, ex ægrotantibus solum *triginta duobus*, numeravit.

Antedictus celeberrimus YOUNG, symptomata phthiseos in modum adeo mirandum descripsit, ut non possum quin verba ipsissima citem, quæ subjicere visum est †.

---

* WOOLCOMBE on the Increase of Consumption.

† "The patient is at first somewhat languid, and feels a considerable difficulty of breathing, especially on ascending a flight of stairs, or taking any violent exercise; and the respiration, instead of 20 in a minute, is performed

SYDENHAMUS, etiam, hunc morbum haud ignoravit; nam, de febre valde putrida, cum sudo-

---

30 or 40 times. He does not complain of cough, but he may be observed to cough occasionally, almost without perceiving it; and he has generally more or less of pain or uneasiness in a certain fixed part of the chest, when he makes a deep inspiration. These symptoms are sometimes very distinctly marked, before the pulse is much accelerated, or the night-sweats occur; but whenever either of these unfavourable circumstances has supervened, the first stage of the disease may be said to be decidedly established †."

—"As the disease advances, the emaciation and the other symptoms of a well-marked hectic fever continue to increase; the cough becomes more and more observable, being at first dry, but afterwards accompanied by an expectoration of mucus, which by degrees acquires more and more the character of pus, though it is never completely purulent, or without a considerable quantity of mucus.

"The teeth often become more transparent than usual, and the sclerotica of the eye of a pearly whiteness. The second stage of the disease is usually dated from the commencement of purulent expectoration, and the third from that of diarrhœa; although some authors comprehend the second and third stages under the denomination of confirmed consumption ‡."

† YOUNG on Consumptive Diseases, p. 21. ‡ Id. p. 23.

ribus matutinis debilitantibus, ex tuberculis pulmonum memoravit.

Norma generalis nulla æquabiliter congruit; ideoque, symptomata, pro re nata, variare expectandum est; sed, hoc non obstante, diagnosis non vera rarissime fiet, si lineamenta in rei natura posita rite perpenderimus.

DEFINITIO.

CULLENUS præclarus, in libro suo nosologico, Phthisin pro Hæmoptysis sequela posuit; et species duas descripsit. "*Incipientem*" nempe, "sine expectoratione puris," et "*confirmatam*, cum expectoratione puris."

Definitio generalis est, "Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi, febre hectica, et plerumque expectoratione purulenta."

Huic definitioni Doctor GOOD, merito inter medicos scientia, præceleber, hoc signum, "expectationem revalescendi fallacissimum," apposuit.

CAUSÆ.

INTER auctores, causæ admodum diversæ, per eadem nomina adeo citantur, ut de duabus solum, *Abdita*, scilicit, vel *prædisponente*; et *Evidente*, vel *excitante*, hic disserere proposui.

Per appellationem *prædisponentem*, statum illum corporis intelligo, qui, exorta causa excitante, potestatem morbo accidere facit; vel, ut GREGORY dixit; "Causa prædisponens est illa quæ corpus tantum morbo opportunum reddit; scilicet, ut admota causa excitante, in morbum incidat *."

Hic notatu dignum est; scrophulam, arthritidem, aliosque, ex prosapia quavis, prolem unum sequentem penitus præterire, et in tertia damnum, quasi tempore firmatum, mensura haud præfinita, affundere. In tali exemplo, prædispositio hæreditaria, sine dubio, agit: nam quomodo aliter a parentibus ad progeniem transferri possit?

---

* GREGORY, Conspec. Med. Theor. p. 13.

Variæ pro causis prædisponentibus descriptæ sunt: secundum Doctorem THOMAS, hujuscemodi sunt, "Hereditary disposition, particular formation of the body, obvious by a long neck, prominent shoulders, and narrow chest, scrofulous diathesis; and, amongst others, pneumonia, hæmoptysis, scrofula, measles, affections of the mind, excesses of all kinds, particular employments, as stone-cutters, needle-pointers, the fumes of minerals and metals," &c.*

Alias etiam memoravit, ex quibus nonnullæ, ut opinor, causæ excitantes potius quam prædisponentes sunt: et de hæmoptysi, an causa sit vel prædisponens vel occasionalis, dubitandum est; nam, magna ex parte, phthisin sequitur, non antecedit.

Doctores peritissimi GOOD et YOUNG de his idem opinantur; et etiamsi caute loquuntur, inter sese nequaquam dissentiunt: e contrario, uterque qualitatem constitutionis peculiarem spectat. Hæc verba Doctor YOUNG habet:—"Of which the first, and sometimes the only effect, is the deposition of a morbid, and apparently inorganic,

* THOMAS'S "Modern Practice of Physic," p. 509.

substance, in the parenchyma or cellular membrane of the lungs." *

Sed hujus rei peculiaris naturam, non præter hoc novimus, quod causa excitans admota morbum excitet.

LÆNNEC sic loquitur, "The existence in the lungs of those peculiar productions to which the name of Tubercles has been restricted by modern anatomists, is the cause, and constitutes the true anatomical character, of consumption." †

Dr YOUNG, qui librum suum quinque annos ante LÆNNEC edidit, opinionem similem mente concepit, quod scire gratum est. Hæc verba habet: "It is extremely uncertain whether the causes, which have been considered as exciting the disease, may not, in general, be posterior to the existence of some such nascent tubercles." ‡

Sed LÆNNEC hæc apposuit, "The real cause, like that of all other diseases, is perhaps probably beyond our reach." §

---

* YOUNG on Consumptive Diseases, p. 40.

† FORBES's Translation of LÆNNEC, p. 1.

‡ YOUNG on Consumptive Diseases, p. 40.

§ LÆNNÆC, ut supra, p. 13.

In hac sententia, auctor causam, quæ tubercula gignit, sine dubio, intelligit.

Angustia thoracis, capacitatem pulmonum, ad copiam naturalem sanguinis continendam, ratione minuit; et, igitur, vasa pulmonis, præter modum distenta, irritantur, et hancce irritationem, locis proximis transmissam, fovet. Hoc modo inflammatio oritur, quæ, invicem, tubercula incitat; tubercula, gradatim, magnitudine crescunt; emolliuntur, denique dirupta fiunt; et sic expectoratio formatur: adeo, si actiones morbidas, serie catenatas, singulatim perpenderimus, tubercula pro causa primaria habenda sunt; et hoc modo, ubi morbus sine causa excitante quavis perspicua oritur, res (sed non manifeste) explicari possunt.

Ex antedictis liquet, causas prædisponentes hujus morbi, adhuc quasi ignotas esse.

Causas excitantes—GREGORY his verbis descripsit, " Ea quæ, in corpore jam proclivi facto, morbum excitant." *

Hæ magis perspicuæ sunt, et, ut jam supra

---

* GREGORY, Conspec. Med. Theor. p. 13.

scripsi, sic enumerari possunt; morbilli; pulveres metallici, vel irritantia alia, cum aëre in bronchia accepta; frigus corpori calefacto, aut sudoribus perfuso, applicatum; exercitatio pulmonum nimia, pathemata mentis; sed maxime temperiei varietates crebræ et improvisæ.

Hæc causa (varietas temperiei) adeo valens est, ut, secundum Doctorem Good, morbum sæpe excitat, ubi vestigium prædispositionis haud ullum inveniri potest.

Quod, de Pathologia Phthiseos, Lænnec scripsit, quamvis novum sit, attentione et fide dignum est; quoniam non solum ingenii opus, sed ex observationibus, ad amussim factis, in corporibus, et viventibus et mortuis, statutum est; et hoc modo, valetudinem adversam, in omni stadio, vidit; et res visas in morbis organicis sigillatim examinationi subjecit.

Observationes omnes hujus scriptoris ad rem veniunt; sed adeo innexæ sunt, ut non facile excerptum fieri potest; et quoniam in dissertatione hujusmodi, multa citare nequeo, mihi satis erit, si, paucis verbis, sententias ejus explicari possim. Hoc modo, igitur, arbitratus est.

Si tubercula in pulmonibus jam locum habeant,

causa quavis supradicta incrementum acceleret: aliquando sunt causa ipsa hujus incrementi; sed non nisi in corporibus quibus prædispositio inest.

Inflammatio pneumonica, quæ inter causas adnumeratur, ex irritatione tuberculorum oriri nonnunquam potest; et tum *sequela*, non *causa*, erit.

Medici quidam tubercula effectus vel terminationem inflammationis esse contendunt; sed huic opinioni doctissimus BAYLE contradixit, et contemplationem refutari valide laboravit.

LÆNNEC, etiam, de hac re, sententiam similem, his verbis dedit: "That the growth of tubercles in the lungs most commonly takes place without any previous inflammation, and that, when inflammation is found cotemporaneous with these, it is generally posterior in its origin." * — "From all this, it follows, that we must either admit, tubercles are not a termination or product of inflammation, or agree to receive this word in a sense as vague and general as that of irritation, or even to consider it synonymous with cause;— a mode of proceeding which seems to possess no

* FORBES's Translation, p. 10.

advantage whatever. There is sufficient obscurity already in the etiology of disease, without augmenting this by fixed relations."*

DIAGNOSIS.

Si symptomata pauca, semper manifesta, rite perpenderimus, diagnosis plerumque facilis erit.

In stadio primo, morbus, false, pro Chlorosi, aliquando habeatur; sed malacia (ut dicitur), vel "desiderium non esculenti ingerendi;" vultus pallidus; torpor mentis æque ac corporis; et pulsus formicans, distinctionem veram præbeant.

Duncan, in libro suo antedicto, varietates morbi *tres* memoravit; et ad diagnosin formandam, symptomata compluria designat, quæ varietati singulæ potissimum inhærent; et quæ, vel singulatim vel conjuncte, perpensa, id nobis erit, e quo judicandi rationem petimus,

Diagnosis ex percussione thoracis, quam proposuit et exsecutus est Avenbrugger, nunc multo facilior et certa erit, si Stethescopia con-

* Forbes's translation of Lænnec, p. 12.

juncta; instrumentum cujus auctor est Lænnec, et quod per multos annos, in Nosocomiis Parisiensibus, et in re medica privatim acta, hic medicus doctus, ingeniosus, et medicinæ studio incensus, summo profectu adhibuit. Per hoc instrumentum, Lænnec multa explicuit, quæ ad diagnosin pertinent; et affirmat se, ex ejus usu, in omni exemplo, ubi cadaver secuerat, ea ipsissima, quæ, vita jam durante, prædicaverat, in pulmonibus, aliisque partibus, monstrasse.

Medici nostrates, quantum scio, qui hujus instrumenti pericula late fecerunt, sunt merito celebris Doctor Duncan, in Academia Edinburgena Materiæ Medicæ Professor; et Dr Forbes, qui librum Doctoris Lænnec, Anglice eleganter et fidissime traduxit.

Doctor Duncan stethescopium in Valetudinario Edinensi Regio, summa diligentia adhibuit, et elogium tale edidit, quale non parum conclusiones Doctoris Lænnec confirmavit. Priusquam, autem, in usum generalem rite adveniat, medicos omnes practicos oportet, instrumentum in consuetudinem diligenter adducere; ut auris, ita, sonitus varios magis exacte distinguat.

De hac re Lænnec ipse sic loquitur: "It is

only in an hospital that we can acquire, completely and certainly, the practice and habits of this new art of observation." *

Sed sanis æque ac ægrotantibus stethescopium applicare debet; aliter, enim, de sonis undique propriis non certiores fieri possumus.

Ad hoc, animum semper, quam maxime adhibui, et pericula feci; nam leges non oblitus eram, quam præceptor spectatissimus, Doctor DUNCAN, mihi et condiscipulis meis serio dedit; occasionem omnem arripere; et quum in Nosocomio Regali Plymouthæ, ad nautas Classis Britanniæ sanandos, rei medicæ adjutor fui, non opportunitatem hujus utendi unam amisi; sed cum hujus auscultationis modi aliquanto peritus eram, non pergere potui, quoniam a curatoribus ad res medicas navales agendas mandatum accepi, quo viso, sine mora, navem "Britannia" dictam, Baronetti præcelebris JACOBI SAUMAREZ aplustre ferentem, conscendi. Postea, vero, phthisicos paucos per sectionem cadaveris inspexi; et omnia quæ mihi in expectationem venerant, accurate visui patebant.

---

* FORBES's Translation of LÆNNEC, p. 288.

Unum ex his exemplis quintum quod LÆNNEC descripsit valde assimilavit.

Stethescopio pectori sinistro, inter costam tertiam et quartam, admoto, pectoriloquismum distincte audivi; et thorace, post mortem, patefacto, recessum in superficie pulmonis vidi, infra quem cavum tuberculosum inveni, quod materiei emollitæ copiam magnam inclusam tenebat. Juxta hoc, cava alia circumscripta alte latebant, quorum nonnulla vacua erant.

In hoc ægroto, (nauta invalido e navi prætoria in flumine Tago ad anchoras stante), signum quod Graii, ῥεγκος dicunt, (Anglice, "*the rattles,*") conspicuum fuerat.

Modos varios stethescopio utendi, et sonitus per hoc instrumentum transmissos, narrare non locum habeo; satis erit dicere quod LÆNNEC affirmat.

Si pectoriloquismus audiri queat, minimum de morbi natura et stadio dubitare non possumus. Bronchiarum dilatatio sonum pectoriloquismo consimilem evocat; sed symptomata comitantia diagnosin facilem reddent.

Brevitas necessaria hujus dissertationis, non mihi potestatem præbet multa dicendi de modis

variis ex quibus auctores ingeniosi inter pus et mucum discrimen petunt.

Omnes incerti mihi videntur; et via quam accuratus Celsus, verbis sequentibus, dedit, forsitan optima sit: "Quidquid exscreatum est, si in ignem impositum est, mali odoris est; itaque qui de morbo dubitant, hac nota utuntur." *

PROGNOSIS.

An Phthisis curari possit, scriptores medici inter sese dissentiunt.

Ex iis quamplurimi, et recte forsitan, opinantur morbum insanabilem esse; et Bayle, sine hæsitatione, affirmat, neminem hoc morbo ipsissimo laborantem sanari posse, quamvis ipse morbus tempori fere indefinito produci queat.

Dr Parr, e contrario, pro certe habet, sese exempla pauca vidisse, quibus sanatio perfecta fuit; sed medici omnes adhuc opinione consentiunt, curam nullam nisi stadio primario expectandum esse: Lænnec excepto, qui, de hac re,

* Celsus, lib. iii. sect. 22.

sic loquitur: "But while I admit the incurability of consumption in the early stages, I am convinced, from a number of facts, that, in some rare cases, the disease is curable in the latter stages; that is, *after* the softening of the tubercles, and the formation of an ulcerous excavation." *

In autopsia omni cadaveris, hoc morbo extincti, cava talia vidi, quorum nonnulla vacua, et alia plus minusve repleta erant; sed ubi cavitates hujus generis locum habebant, tubercula, stadiis variis in pulmonibus dispersa observavi; et, si tubercula, uti LÆNNEC dixit, magnitudine augeri, et mollescere, possunt, nonne timendum est, ne vires naturæ medicatrices fere semper exhauriantur, dum, ne augescant, tubercula oppugnare conantur; nam, etiamsi tubercula nonnulla maturata hoc prælio devicta sint, alia immatura gradatim firmantur, morbum renovant, et, hoc sæpe acto, ægrotantem denique conficiunt.

Tubercula miliaria (nam stadio primario sic dicuntur) in pulmonibus sæpe latent, sine signo quidem uno ex quo suspecta fiant; sed si ullo modo crescere cœperunt, ad maturitatem certe

* FORBES's Translation, p. 17.

progrediuntur; et, ideo, in phthisicorum sectionibus, tubercula a sinapeos magnitudine ad molem usque nucis coryli inveniuntur; et de exemplis in quibus cura perfecta fuit, arbitratus est LÆNNEC, unum vel alterum ex his tuberculis miliaribus tantum maturatum fuisse, dum reliqua in statu primario sese tenebant; adeo, ut supradictum, si ægrotans vim irritationis protractæ sustinere posset, aliquid sperari liceat; et præsertim si remedia ad vim vitæ sustinendam administrantur; nam exitium lethale a debilitate sæpius quam ex pulmonis læsione accidit.

Sed quatenus hic modus valuit in medendi ratione dicendum erit, et ex antedictis sanationem phthisicorum quasi non sperandam liquet.

CADAVERIS SECTIO.

Medici veteres inter sequelas phthiseos, semper abscessus numerant; sed, hodie, bene scimus abscessus eorum tubercula emollita esse; et *vomicæ*, ab illis pro suppuratione pulmonis descriptæ, adeo raræ sunt, ut LÆNNEC etiam, inter exempla mor-

tuorum centena compluria, has tantum quinquies vel sexies vidit.

Inter abscessus et tubercula hocce discrimen non facile præterire possumus, quod tubercula, æque ac vomicæ, circumscripta sunt, et sese, quasi cryptis, ex pulmonis substantia factis, sepulta tenent; dum abscessus, e contrario, quando superficies pulmonum subflava incisa est, materiæ purulentæ copiam effundunt.

Hoc loco, exemplum subjicio, quod, ut opinor, ad rem attinet.

Ricardus Davis, annos LVIII natus, navita invalidus, ex Classe Britannica in fluvio Tago.—Historiam morbi prægressi non invenire potui; sed, Plymouthæ, in navi prætoria manebat, donec scripta quædam, a Londino expectata, sibi potestatem domum redeundi contulissent. Hoc intervallo, e navi in terram exscendit, potationesque præter modum in tabernis ingurgitavit. Post dies noctesque tres vel quatuor hoc modo exactas, navem iterum conscendit, et statim, die Aprilis 21mo MDCCCXXV ad valetudinarium Plymouthæ missus erat. Eo tempore, de dolore cruciante genu dextri tantum locutus est; sed dixit, dum

in tabernis manserat, quantitatem minimam sanguinis tussiendo se expuisse. Nocte durante, dolor gradatim decessit; eousque ut mane de eo nihil dictu satis erat; sed eadem ratione qua dolor decesserat, dyspnœa aggressum fecit; et ante meridiem, eodem die animam efflavit. Corpore patefacto, pulmones maxime congestos vidi, et, incisione facta, ea, ut supra scripta, quæ suppurationem constituunt, exacte patebant.

In hoc exemplo, quanquam symptomata adeo improvisa sine mora, ægrotanti mortem attulerunt, minimum dubii sit quin inflammatio pneumonica multo antea accesserit; sed rheumatismo poplitem adorto, morbus pulmonis sese in aliquod tempus avocavit, quoniam poplitis ægrotatio gravis erat, (ut per dissectionem probatum fuit), sed metastasi ad pulmones exorta, vitam amisit.

Hoc exemplum observationem HIPPOCRATIS confirmat; "*Δυο πονων ἁμα γινομενων, μη κατα τον τοπον, ὁ σφοδροτερος αμαυροι τον ἑτερον.*" *

Res visæ variare solent, prout morbus antecedens plus minusve direptiones fecerit; sed tuber-

---

* HIPPOCRAT. § 2. Aphor. 46.

cula, uti Lænnec lucide descripsit, in omni phthisicorum dissectione inveni.

Hic, vero, læsiones omnes organicas narrare non convenit, quoniam medendi rationes non has numero et gradibus superant.

Pulmones eorum, qui ex phthisi moriuntur, plerumque adeo structura mutantur, ut sæpissime varietates tuberculorum, quas Bayle et Lænnec enumerant, non sine difficultate maxima indagare possumus; sed, quousque hoc exitium promoverit, varietates quarta et quinta fere semper invenienda sunt.

MEDENDI RATIO.

Nullius morbi curatio, ex regulis confirmatis gradu, minore quam phthiseos pendet; nam modi omnes, adhuc propositi, adeo inutiles fuerunt, ut remedia nova, quotidie, quasi panaces, usurpantur; et quoniam nihil rite hoc nomen merere potest, omnia invicem repudiantur.

Propter hanc causam, adjuvantia multa quæ prodesse possint, periculo non jam satis facto, mi-

nime æstimantur; nec mirandum est si, principiis parum notis, medici temporibus sese dedissent.

RUSH et SALVADORI hunc morbum, quoad naturam ejus, ex adverso spectant; et, ideo, rem actam secundum opiniones proprias fecerunt. RUSH pro *entonico* morbum habuit, et, igitur, regimen antiphlogisticum accurate servavit. Ad hunc finem, venæsectio; emetica; potassæ nitras, dosibus magnis; salivatio; victus lenis; et exercitatio, huic medico pro remediis fuerunt: sed hic modus medendi demum obsolevit.

SALVADORI, e contrario, phthisin quasi morbum *atonicum* animo versans, ab initio usque, fidem in stimulantibus, corroborantibus, victu e carnibus confecto, et in vino, spirituque vini posuit.

De exercitatione, a RUSH non nisi modo et quatenus utenda dissentivit.

MORTON, etiam, debilitatem comitantem vel sequentem adeo timuit, ut spem suum cinchonæ præsertim commisit.

BROUILLET aliique, quibuscum phthisis et scrofula consimiles videbantur, remedia hujusmodi præstituerunt, quæ in morbis scrofulosis prodesse solent; et sic, alkalia; præparata ex hy-

drargyro, citra salivationem excitatam; aquæ vel natura vel arte medicatæ; aliaque illis pro medicinis aptis erant. Sed peritissimus CULLEN medicamenta quæ in scrofula summo profectu ministrantur, nihil in tuberculis pulmonum prodesse notavit; et similitudinem inter scrofulam et phthisin, quantumcunque aliter valeat, propter hanc rem non omnino concordare arbitratus est.

De digitalis usu, Doctores BEDDOES et PARR quam maxime dissentiunt; nam ex his medicis prior hoc remedium maximi æstimavit, dum is quem proxime nominavi non solum digitalem non prodesse sed etiam obesse putat.

Medicina pneumatica, multis annis non jam elapsis, attentionem medicorum, si non generaliter, sibi haud minus quam remedia supra dicta vindicabat; quo consilio, ægrotantes non solum aëres factitios, magna quantitate, inhaurire, sed cum vaccis in bubilibus, dies noctesque habitare solebant.

Acidum hydrocyanicum alii adhibuerunt; et *iodina*, quoniam tumores glandulosos solvere dicitur, contra pulmonum tubercula nuperrime et hodie

administrata est; sed hoc acidum, quoad ipse vidi, nihil in *phthisin* profuit; nam pulsus debiles, lassitudinem corporis, et anxietatem magnam ventriculi attulit; adeo ut si, ullo alio modo commode fecisset, ægrotis propter hæc mala, plus nocere quam opitulari mihi videbatur.

Igitur cum tot remedia invicem, et profectu non magno, adhibita fuerunt, quæstio fit, cui tuto credamus? Nam etiamsi symptomata compluria, sine dubio, pro tempore sublevaverit, dubitari non potest quin alia damnum attulerint; et si statum ægrotantis emendare non possumus; melius erit medicamenta mitiora adhibere, quam quæ incerte et minus tuto agunt administrare.

Neque norma quævis generalis curationi hujus morbi conducit, uti VAN SWIETEN dixit; "Nihil autem magis damnosum in arte est, quam morbo cuidam generalem curam adscribere, nulla ratione habita varii ejusdem morbi status." *

Sed si symptomata exorta oppugnemus, probabilitas major levandi, saltem, si non sanandi erit.

---

* In Aphorism. BOERHAAV. s. 394.

De hac re ABERCROMBIE noster sic locutus est:

—"There is, perhaps, no class of diseases which admits of greater variety, or in which our success must depend more intimately on minute attention to the characters of individual cases in their early stages. It is only by a careful investigation of these varieties, that we can ever expect to add any thing to our knowledge of consumption, and not by the vague and flimsy speculations by which the public mind is by turns amused and distracted. Consumption, says one, is a disease of debility; says another, it is a disease of excitement. The sound pathologist knows that it is a morbid degeneration of a vital organ; and that, except he can combat it there, in its proper seat, the excitement and the debility are equally beyond his control. In this morbid condition there are many varieties, and many of them are obviously beyond the reach of any human aid. There are others in which the tonic treatment is proper and expedient, and in which, supporting the strength of the patient by every possible means, is giving him the only little chance that remains to him of throwing off the disease. But, in others, certainly the antiphlogistic treatment is required; and by the judicious employment of it at the proper period, some considerable prospect is held out to us of arresting the disease at its first appearance. If these be trifled with, or injudiciously treated at the commencement, the period for active practice is soon gone by, and the error is fatal."*

* Edinburgh Medical and Surgical Journal, vol. xviii. p. 31.

In stadio morbi primario venæsectio, si indicatio ulla sit, nunquam prætermitti debet; sed si phthisis provecta fuerit, sanguis caute mittendus est; nam vis omnis ægrotanti ad debilitatem debellandam opus erit.

Vesicatoria omni stadio imponenda et frequenter renovanda, sunt; nam sic sine irritatione quæ ex ceratæ sabinæ aliisque oritur, et quæ tussim sæpe auget, effecta eadem sanantia habent.

Expectorantia non nisi initio morbi adhibenda sunt; et hæc ex mitioribus et iis quæ sudorem lente promoveant, delictum, facere oportet.

Opium, vero, remedium princeps in hoc morbo est; et narcotica omnia alia prodesse solent, ubi, propter idiosyncrasin ægrotantis, *opium* non convenit.

In stadiis extremis adeo necessaria sunt *narcotica*, ut ex eorum usu solum proficere possumus; et ægrotantes, hora somni haustus opiatos quasi divina beneficia accipiunt.

Opiata non omnibus, vero, somnum inducunt, sed, ad minimum, tussim sublevant, et tranquillitatem corpori defesso, afferunt; dum æger, quamvis non somno alto noctem transierit, mane refectus est.

Quando opium non sumi potest, *hyoscyamus, conium maculatum*, et *humulus lupulus* multum proficiunt. Dr DUNCAN *lactucarium* commendavit, et non minus *hypnoticum* quam *opium Indicum* esse putat.

Narcotica præpotentia, *stramonium, belladonnam*, guttam nigram, &c. exhibita vidi in Valetudinario Plymouthæ, jubente medico primario, Doctore DICKSON, qui medici partes ita agit ut, quoad rectum, nihil intentatum linquet; et qui inter ægrotantes et medicos ob benevolentiam æque ac eruditionem percognitam permagni existimatus vixit.

Narcotica quæ jam memorari (*belladonna*, nempe et *stramonium*) non sæpe per se adhiberi possunt, quoniam plerumque fauces valde astringunt, iisque sensationem quasi præfocationis non raro inducunt; sed opio conjuncta, multum prodesse solent.

Experimenta in vegetabilium chymia, nuper facta, modos varios in lucem protulerunt, per quos opium absque qualitate ea nocua quæ quam plurimis obest, parari potest.

Ex præparatis opii, sic factis, MAGENDIE u-

num, "Morphium," commendarit; et ad remedium parendum processus varios descripsit.

Liquor *opii sedativus*, cujus auctor Dominus Battley, Pharmacopola Londinensis, est, et gutta nigra, præsertim, quæ per longum tempus late adhibita est, inter *hypnotica* optima æstimantur; et ex auctoritate indubia audivi Doctorem Baillie, semper deplorandum, priorem, et profectu summo, adhibuisse; dum Doctor Parry, nuper defunctus, guttam nigram multum laudavit.

Purgantia in hoc morbo fere nunquam adhibenda sunt; sed quæ alvum lente subducunt maxime conveniunt.

Diarrhœa, vel, saltem, status alvi irregularis in *phthisi* sæpissime oritur; et in stadiis morbi protractis, dum manserit, tussim et *dyspnœam* haud parum aliquando subducit; sed quoniam æger profluvium intestinorum diuturnum non sustineat, absorbentia et quæ alvum astringunt adhibere cogimur; et eadem ratione qua profusio sublata fuerit, tussis et *dyspnœa* augescunt.

Rheum palmatum maxime prodest; et non solum intestina cieri videtur, sed etiam effectum roborantem habet; et cum *carbonate* vel *su-*

persulphate potassæ et opio conjunctum, me teste, in ægrotantes grate et utiliter officio fungitur.

Acidum sulphuricum et *cinchona*, ad sudores debilitantes sublevandos valent; sed aliquando *dyspnœam* provocent, et propter hanc causam non semper proficiunt.

Phthisici ex victus qualitate et ratione admodum pendent, et hic medio tutissime ibunt; nam neque carnes neque potiones avenaceæ singulatim adhibitæ prodesse possunt; sed victus optimus ex iis fiet, quæ facillime concoquuntur.

Pyrexiæ species, gradu majore vel minore, concoctionem cibi semper comitatur, prout ingesta plus minusve propria fuerunt; et in phthisicis, febri invenienti, omni modo, occurrere oportet; ad quem finem pulli gallinacei, præ granario pasti, jus e carnibus confectum et gelatum, cycas circinalis, maranta arundinacea aliaque ejusmodi conferunt.

Lac belluinum, et præsertim asininum et caprinum, multum prodest.

Cœli mutatio sæpissime valet, si ad regiones australes, nec nimium soli propinquas, initio morbi, ægrotantes migraverint; morbo autem

confirmato, regiones australes exitium festinare dicuntur: ssd Doctor YOUNG de hac re tam late disseruit, ut mihi fere nihil dicere restat.

Provincia Devoniæ, et oppidum Penzance ejusque vicinitates in provincia Cornwall dicta, præ locis omnibus aliis in Anglia æstimantur.

Bristol, etiam, multum laudis accepit, ut audivi, aquæ ejus immerito dilaudantur, etiamsi oppidum ipsum et regio circumjacens ad curam morbi aliquanto inserviant.

Insulæ Melita et Madeira; urbs Lusitaniæ primaria, Lisbon dicta; Gallia Australis; et Italia, ad phthisicos revalescendos magni æstimantur. De Mari Mediterraneo, ejusque oris classicis, celebratis, commoratio in ea regione nequaquam phthisicis tam propitia est, quam temperies cœli æqualis jactata credere suadeat. E contrario (locis perpaucis forsitan exceptis, naturam fautricem habentibus), regio Mediterranea ad phthisin sanandum minime confert; quoniam temperies revera nequaquam æquabilis est; nam venti procellosi qui ex Asia Minore et Africa, et a montibus Pyrenæis et Alpibus, eodem fere tempore furiales veniunt, alternationes temperiei magnas et crebras inducunt.

Si quis de hac dubitaverit, nihil dubii maneat, tabula inspecta quam Doctor JACOBUS JOHNSON, libro suo præstante * dedit, in qua numerum magnum phthisicorum, et stragem morbi, in classi Britannica notavit.

De his, ex observatione propria, nihil proferre habeo, nisi quod antea dixi, tres partes phthisicorum, nempe, ex numero toto in nosocomio Plymouthæ, e navibus in Tago, ad anchoras stantibus, missas fuisse.

Si cœlum mutare non possit, cubicula ægrotantium adeo calefacere oportet, ut temperies æquabilis fiat.

De corporis exercitatione, auctoris fere omnes hanc necessarium esse consentiunt. SYDENHAMIUS equitatione præcipue confisus est, neque ad victus rationem vel qualitatem quasi rem momenti spectabat. VAN SWIETEN arbitratus est, sese phthisicos complures sanasse, quibus consilium dedit officio aurigæ fungere, et qui, hac monitione accepta, rhedarii fiebant.

Doctor YOUNG, ægrotantibus æquitare vel navibus vehi, tempestate etiam frigida, suadet.

---

* On Tropical Climates, p. 281. 3d edit.

Doctor CARMICHAEL SMYTH, navigatione et sella gestatoria uti monuit; sed Doctor DUNCAN noster, qui hujus sellæ periculum inter ægrotos late fecit, opinionem Doctoris SMYTH non multum approbavit. Exercitatio etiam ad prophylaxin maxime pertinet; et vestimenta propria et calefacientia ad eandem conferunt.

Indusia lanea, igitur, multum proficiunt; nam temperiem cutis æquabilem asservant, et sudorem lente evocant.

Qui res medicas agunt in urbe Bristol dicta, et phthisicos multos sub oculis habent, indusia et femoralia, e corio capræ rupicapræ præparato facta, magis quam lanea imponere suadent: sed hæc, quamvis caloricum transire prohibeant, in usum generalem nunquam usurpari possint; nam sudoribus perfusa et madefacta, statim fugescunt, et exhalationes salutarias reprimunt; dum lanula, e contrario, cutem lente et grate stimulat, calorem excitet, et sudores imbibit.

Pulmones et cutis adeo inter sese consentiunt, ut causa quæ phthisin maxime excitat a frigore superficiei applicato pendet; nonne, igitur, vestimenta lanea prophylaxin optimam facere videantur?

Quod mihi proposui, jam nunc, sed non perfecte, exegi: nam omnia de phthisi, in dissertatione hujusmodi, narrare non convenit, neque potestatem habeo; sed operam, quod in me erat, lubenter feci, et meipsum opusque meum sub judicio lectorum ingenuo, demisse pono.

FINIS.